

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

**Reuchlin, Johannes**

**Hagenoae, 1519**

Ioannes Vuacker latine Vigilius, iuris [...], Ioanni Reuchlin salutem dicit

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

I O. REUCHLIN. LIBER PRIMVS

Ioannes Vuacker, latine Vigilus, Iuris utriusq; doctor,  
Ioanni Reuchlin salutem dicit.

**Q**uod ego mi Capnion haftenus & ab ea hora qua a me deces-  
sisti usq; in huc diē, etiā tuis literis id a me exigentibus, nihil  
literarū ad te mearū dederī, uix ausim ne dicā possim  
me excusare, cū tot interea habuerim occasiōes scribendi, torq; nū-  
cios ut mille ad te & innūerabiles epistolas dare potuissim. Sed ut  
faltē uno si uelis argumento me habeas excusatū, utq; uerū loquar,  
non transiit mensis post tuam abitionē quin & a principe & a can-  
cellario & interea saepius audiuerim te uocatū, tibi scriptū etiā ma-  
nu principis ut huc uenires, quāobrem maxie calamus meus sese cō-  
tinuit, uolens omnia in tuum aduentum differre, quanq̄ plura sem-  
per ad te fuissent scribenda. Sed nondum compares. Ideoq; possim  
ego omnem culpam meam in te transferre. Velim ergo tibi persua-  
deas meam ad te scribendi negligentiam, & tuam item ad nos rede-  
undi tarditatem, tanq̄ paria delicta mutua fore compensatione tol-  
lenda, quanq̄ ego minime dubitauerim te non sine urgenti ratione  
domi continere potiusq̄ hinc inde uagari. Spero tamen sperantq;  
quin immo & optat & desyderant multi alii te aliquādo nobis praesentem futurum, ut ore ad os negotia mutuo inter nos agenda pro-  
noro possint expediri. Sperat & id Andreas theologus noster, qui to-  
tiens tuam optat praesentiam, quotiens se meminit esse infirmū, ac  
nullum apud se habere medicū a quo recipiat medicinam, hoc est,  
qui in philosophia secum usq; in secundam aut tertiā noctis uigiliā  
perpetuo secum disputationem continuet, eiq; aduersetur. Nūc em̄  
dicit ubi est Reuchlin cum suo instās, utinam adesset. Iam uero tui  
cupidus est, ut cum eo cōmiserationem habeas illius totius nōstri  
seculi eiusq; tam miserabilis status, eūq; audires sese ultra in hoc se-  
culo minime māsurū. Quin immo mox sibi ad Schonau suāq; illic  
habitationem esse diuertendū, aut saltem semel eandem esse ab eo  
uisitandā. Pastor praeterea in Steinach quid tui egeat nescio. Saepius  
tamē tuam diuturnam absentiam dolens miratur. Praesul item no-  
ster & Vangionum, nedum te desyderat nobiscum esse, sed indies  
conat̄ inuenire media quibus te reducat ad se, ut & si te ppetuo secu-  
detinere non possit, saltem te praetore per hanc hyemē futuram  
utatur. Cōstituitq; uxori tuae ut cōsensum praestet transmittere pro

EPIS. ILLVST. VIRORVM AD

pediem plaustrum uini boni. Tu interea delibera quid tibi sit faci-  
undum. Sed ut de reliquis taceam, quid credis de me ipso? nunquid  
ne ego desyderem tuum festinum aduentum? Profecto merito id  
credere debes, ego enim propter te neminem habebō saltem chariorem,  
qui nostro more mecum in multam noctem uina mea noua opti-  
ma dulcissima & in magna copia gustet, p̄bet, deglutiat. Spero enim  
me habiturum ad annum futurum decem plaustra non minus ui-  
ni noui optimi & dulcissimi. Neminem præterea habebō, qui dum  
mane surgendum est uestibusque induendum, promiscue & suis & me-  
is utatur uestibus. Quid multa? carebo ego unico meo solatio. Ob-  
eas tamen res omnes, nolo facias quod tibi non conducatur, quodque tuo  
iudicio tibi uideatur aduersum. Quod si æque tibi ut mihi congrue-  
ret, faceres rem mihi longe omnium maxime gratissimam si hanc  
hyemem totam etiam meis impensis nobiscum ageres, postea quæ enim  
nuper a me discessisti, tum primum sensi ego atque magnifici solati-  
tia quæ ex tua præsentia indies acceperam. Nacta semel oportuni-  
tate si uenire non potes, describe saltem nobis uitam tuam domesti-  
cam seu heremiticam, credo enim te in solitudine domus tuæ cum  
solis libris tuis delitescere, & ut alias constitueras a negotiis curiali-  
bus abstinere. Decanus noster spirensis iam multos dies laborauit  
febri quartana, cui si potes scribe quæ primum literas consolatorias &  
medicinales, facies enim ei rem gratam. Fuimus nuper Cancellari-  
us, pastor in Steinach & ego cum eo consolationis causa. Fuitque ob  
eam solam rem nuper cum eo serenissimus princeps noster, ceterum  
utile (ut tandem has barbaras literas concludam) sperarem fratri  
tuo fore, ut semel adesses præsentem principem, posset enim de nouo ei pro-  
mitti stipendium pro continuanda lectione in lingua græca, ad quod  
cancellarius laborat, sed suus solus labor timeo non sufficiet, quanquam  
& ego non omnino dormiam. Estque res propterea eo deducta, ut si tu uel  
unum uerbum nostræ actioni apud principem addideris, res expe-  
diatur indubie, possitque sic frater tuus continuare studium suum quod  
in legibus & canonibus incepit. Vale & me ama, atque uxori tuæ dul-  
cissimæ dic meo nomine salutem multam, rogaque mei loco ut si ali-  
as fieri possit commode, saltem te semel ad nos remittat. Vale iterum,  
raptim in die animarum, Anno. M. CCCC. XCIX.

Capnion Vigilio salutem.